I k 337

FAUSTUS COSTANTINI

MEDICUS PRIMARIUS IN ROMANO NOSOCOMIO S. MARIAE A PIETATE
AMENTIBUS CURANDIS
PROFESSOR NEUROPSYCHIATRIAE FORENSIS IN PONT. INSTITUTO UTRIUSQUE IURIS

De sexuali impotentia functionali viri in Decretalibus Gregorii IX et in neuropsychiatria hodierna

---

Appendix
Vol. III
Actorum Congressus Iuridici Internationalis

SEMINÁRNÍ KNIHOVNA
Hist.-práv. oddělení
PRÁVNICKÁ FAKULTA MASARYKOVY UNIVERSITY

ROMAE
APUD CUSTODIAM LIBRARIAM PONT. INSTITUTI UTRIUSQUE IURIS
PIAZZA S. APOLLINARE 49
1936

241/37
Koupi od fy. Barvič-Novotný
v Brně za Kč
inv. čís 5366

SUMMARIUM. — Tum e Decretalibus Gregorii IX cum e scientia neuropsychiatrica sexualis quoad functionem impotentiae viri ingenuus conceptus educitur.

In Gregorii IX Decretalibus eiusmodi sexualis impotentia tamquam duplici a causa procedens exponitur: a natura scilicet (frigiditas) et a malefica arte (maleficium).

In scientia neuropsychiatrica, prouti ipsa progredientibus ad praesens indagationibus in dies augetur, viri impotentia multiplici de causa profluens demonstratur. A morbis scilicet qui insurgunt vel ex diversarum corporis partibus deturpatis e. g. adipositate, diabete, aegritudinibus exhaurientibus etc. causis toxicis etc. vel ex nerveo systemate depravato, vel ex ipsa nervorum praecipiti debilitate e. g. neurasthenia sive congenita sive acquisita, vel ex causis ipsam animi constitutionem afficientibus, quae quidem absolutam vel relativam impotentiam producere possunt.

Ipsa autem, tum in Decretalibus cum in neuropsychiatria, temporaria vel perpetua consideratur.

Notitiae historicae

Impotentia sexualis est sane omnium temporum omniumque populorum morbus. Quin plenam exponamus historicam evolutionem impotentiae de ea summa quaedam referenda censuimus.

De spadonum incapacitate ad procreandum agens Hippocrates hanc opinatus est occlusioni adscribendam vesicularum per quas ducitur semen, cuius elaborationem in testiculis fieri ignorans, enasci docuit tum ex solidis tum ex mollibus quibuscumque corporis humoribus. Idem de Scythis, optimis equitibus, asserit propter crebram equitationem impotentes fieri atque morbi causam non ex atrophia testiculorum indigitat, quorum spermatogenicam functionem, ut iam innuimus, ne suspicatur quidem, aut ex exhaustis centris spinalibus ob diuturnos stimulos, sed ex sanguinis effusione quam sibi provocant, cum recidunt venam post binas aures ut difficultatem depellant ambulandi quae ex equitandi arte sibi provenit.

Antiquis Hippocratis placitis cohaerent quae recens quidem docuit Hammond scil. in quibusdam Indorum tribubus, quae equitantes agunt vitam, permultos esse impotentes.

Cornelius Celsus manifeste innuit sexualem morbum quam frequentem, seminis scil. distractionem, cum haec habet: *est etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis, quod sine venere, sine nocturnis imaginibus, sic fertur, ut, interposito spatio, tabe hominem consumat.*

Petronius, arbiter elegantiarum, in opere suo quod *Satyricon* inscribitur, uberius enarrat de impotentia qua repente Polienus affectus est, quem Circes ob iteratum infelicem exitum flagellari ac contemni iussit.

Pluribus locis Galenus sermonem habet de vitiis potentiae ad generandum.

Legibus suis primi christiani Imperatores causas dissolutionis matrimonii recensuerant, inter quas praecipua accensebatur impotentia; *per occasionem quoque necessariam et non irrationabilem distrahitur matrimonium, quando aliquis impotens fuerit coire mulieri et agere quae a natura viri data sunt.*

Nuptiae tamen non prius dissolvebantur quam lapsis a celebratione duobus annis. Iustinianus vero legem immutavit atque statuit ad tres annos terminum protrahendum esse: *edocti sumus ex iis, quae ante haec provenerunt, quosdam amplius quam biennium temporis non valentes, postea potentes ostensos ministrare filiorum procreationi.*

Haec trium annorum probatio adhuc in iure servatur temporibus promulgatarum Gregorii IX Decretalium (1234) et successive usque ad initum saeculum XIX.

Decretalium vero titulus XV lib. IV inscribitur *De frigidis et maleficiatis, et impotentia coëundi.*

Frigidi habentur si a naturali causa, *maleficiati* vero si a daemone scil. a maleficio, eorum vitium procedat: praecipue autem maleficio adscribitur impotentia relativa. Hinc est cur apud Glossam ad IV, 15, V, *cognoscendi alias,* haec legamus: *... si quis est frigidus quo ad unam, quo ad omnes est frigidus, cum impedimentum a natura procedat... secus in maleficiato.*

Distinctionem inter frigidos et maleficiatos invenire quoque est, ut praecipuos tantum canonistas enumeremus, apud Ioannem Andream, Abbatem Panormitanum qui unde fiat exponit ut maleficiatus *omnes possit cognoscere praeter uxorem,* et successive apud Sanchez. Hic vero in perpendendis impotentiae causis aliquatenus progressus est, quippe qui maleficium ab impotentia distinguat quae ex viri erga mulierem repugnantia oritur.

Paulus Zacchia, clarissimus medicus legalis sacc. XVII, omnibus quos recensuimus auctoribus sane antecelluit in enucleandis impotentiae tum causis tum variis speciebus, qui quidem ad impotentes noscitandos multa affert indicia quibus et nostris temporibus vis pro merito tribuenda est. Attamen et ipse distinctionem inter frigidos et maleficiatos retinet, quamvis eiusdem rationes, a nonnullis allatas auctoribus, plane refutet atque clarius demonstret momentum causarum psychicarum in impotentia relativa, ut excessus passionis, odii vel repugnantiae erga mulierem, repentinae verecundiae, quas antea tribuebant maleficio.

Recentiores vero canonistae de impotentia illa quam veteres ex maleficio ortam habebant, excultiorem sane praebent notionem, a naturali causa repetentes plura quae daemonem habere auctorem olim putabantur; nec quidquam in hodiernis ecclesiasticorum tribunalium sententiis de impotentia ex maleficio cogitatum invenies.

Hodiernae notiones de impotentia viri

Viri potentia ad procreandum intimo cohaeret nexu cum speciei conservatione. Multorum namque animalium, precipue mirae insectorum classis, postremus individuae vitae actus, ut recolit Luciani, ad id est ut servetur species: paulo post sui reproductionem animalia decidunt.

Procreationi, aptum atque proprium medium, inservit copula. Verum in homine perfectio coitus est res implexa atque impedita quam quae maxime: eam ingrediuntur tum anatomica organa universa cum omnes functiones et stimuli diversimode exercita ut stimuli instinctivi, sensitivi, sensoriales, affectivi, aesthetici, repraesentativi. Quae, ut est apud Murri, ab ideali et aesthetica regione ad elementarissimum quemque reflexum actum progrediuntur; ab animi in cerebrum potentia usque ad nervos glandis qui medullam lumborum penetrant, a qua per nervos erigentes exeunt.

Qua cum re id cohaeret participationem scil. viri in coitu potiorem esse quam mulieris, quin huius minuatur quod habet in divino procreationis officio momentum. Aliam rationem in eo invenies quod huiusmodi anatomicus et functionalis adparatus ob suam implexitatem et debilitatem facile corruptionibus ac imperfectionibus sit obnoxius.

Quae ad normalem seu physiologicum coitum conferunt haec quattuor recenseri poterunt:

1) genitalis quidam impulsus quem libidinem vocant;

2) penis erectio eademque perfecta atque satis producta;

3) eiaculatio tempestiva;

4) orgasmus, illa nempe corporis voluptas quae una cum eiaculatione persentitur.

In inferioribus quae pariunt animalibus, sexualis ille impulsus quo membrum ad coitum erigitur, in maribus fit praecipue per excitatos atque commotos tum videndi tum audiendi tum maxime olfaciendi sensus; in superioribus vero, quibus odoratus organa contracta insunt atque imminuta, ad sexualem excitandum impulsum, tangendi sensus praecipuum obtinet locum.

Verum viri sexualitas maxime implicatur accedentibus ad sensorias psychicis causis seu affectivis, aestheticis et idealibus. Et quo viri altius atque latius evolvitur intellectus, eo sexualis instinctus maiorem in dies influxum causarum psychicarum in suam ipsius structuram et functionem persentit. Qui quidem influxus in pathologia constat per plurimas anomalias vitae sexualis quae in inferioribus animalibus miram praebet uniformitatem maximamque contra externa vitae adiuncta restitendi virtutem. Progressus humani intellectus, ut asserit Tanzi, amoris quoque formam mutarunt eidemque veluti spiritus afflatum dedere, qui pravum ardorem cohibet ac dissimulat, eius tamen fascinationem nullatenus minuens.

Ceterum, bene cogniti effectus qui inde non semper desiderati sequerentur, amori opponunt voluntatem a qua ipse minui, exstingui potest atque a suo biologico fine et naturalibus formis diverti.

Ut multiplices stimuli quibus sexualis excitatur impulsus ad erectionem efficiendam apti fiant necesse est huius excitatoria centra ad quae feruntur stimuli, ita et functionaliter et anatomice integra esse ut per fibras vasa dilatantes nervorum erigentium, sanguinis aptus provocetur affluxus ad interiora corpora organi coitus eiusdemque erectio.

Quae centra certis locis per totum sunt distributa axem cerebrospinalem; at immediatum erectionis centrum, plurium physiologorum ac pathologorum sententia est in tractu sacrali medullae spinalis, iuxta Müller vero in elementis gangliaribus sympathicis plexi sacralis.

Ceterum quisquis actus sexualis non tantum physiologiam sed pathologiam quoque perpendere velit, meminerit quod sicut viae et centra excitatoria adsunt atque fibrae vasa dilatantes (vaso-dilatatrici) per quae intumescit penis et erigitur, ita etiam viae et centra

tum cerebri tum spinae inveniuntur illis contraria, nempe inhibitoria, necnon fibrae vasa coarctantes (vaso-costrittrici) per nervum pudendum deductae; quae omnia, impedito sanguinis affluxu ad cavernosa penis corpora, erectionem incipientem prohibent perfectamque mox restinguunt.

Etenim erecto pene quivis molestiae sensus sive ex metu sive ex fastidio, efficere poterit ut erectio cesset aut nondum perfecta inhibeatur: hoc sane inde evenit quod huiusmodi sensus vim suam deprimentem per vias ac centra inhibitoria in immediatum erectionis centrum exerant.

Aliud ut supra monuimus, idemque essentiale ad perficiendum coitum est eiaculatio quam comitatur orgasmus. Verum etsi erectio atque eiaculatio ad coitum simul concurrant, haud tamen inscindibili inter se cohaerent nexu, sed altera ab altera independens, seorsum perfici poterit.

Pronum est puerili aetate haberi erectionem, cum adhuc nullum ob immaturos testiculos producatur semen, itemque eunuchos erectionis capaces et coëundi esse, non autem eiaculandi; denique eiaculationes inveniri posse absque erectione idque etiam cum satis sanus est genitalis apparatus; quod autem eadem accidere possint si apparatus genitalis infirmus sit, clarius perspicitur, ut ex casibus tum priapismi tum morbosarum erectionum et pollutionum pathologicarum, absque vel cum voluptate, et quarundam coni medullae laesionum edocemur, in quibus, eiaculatione abolita, adhuc habere est erectionem.

Cuius rei per animalia probatio plene cohaeret cum iis quae apud hominem fiunt sive in physiologicis sive in pathologicis adiunctis.

Luciani commemorat Remy in inferiori vena cava parvum invenisse ganglium cuius sola quidem excitatio eiaculationem produxit, itemque Loeb asseruisse se excitatis exiguis cuniculorum filis nerveis quae ad deferentem ductum accedunt, motus expellentes stimulasse quin levissima produceretur erectio.

Harum duarum functionum dissociatio facile perspicitur consideranti vias nerveas centrifugas adesse pro illis diversas, quemadmodum in cono medullae centrum eiaculationis immediatum invenitur positum ab erectionis centro distinctum.

Cum in coitu sano excitatio nervearum terminationum glandis, propter refricationem in vaginae ductu producta, per vias centripetas ad eiaculatorium centrum directa est et certam vehementiam accepit,

centrum eiaculatorium contra stimulum renititur, ita ut contrahantur tum muscolorum fibrae leves (liscie) tum vesiculae tum canaliculi seminales tum denique canaliculi prostatae, unde sperma emittitur, ac subinde, per fibras nervi perinei (qui ramus est nervi pudendi), contrahantur musculi cavi ischii bulbique, per quos fit eiaculatio.

In peculiaribus autem adiunctis fieri potest ut centrum eiaculatorium spinale non a stimulis externis excitetur, sed ab internis, ut fit, e. g. in ea eiaculatione quae venerea somnia (stimulos nempe ex cerebro provenientes) consequitur.

Varia autem impotentiae genera suam habent causam perturbatione omnium vel quorumdam organorum anatomicorum vel functionalium, quae in singulis coitus momentis suam actionem exercent.

Agendum hic nobis ducimus de impotentia coëundi cuius functionalem, quam vocant, speciem tantum tangemus.

Quo nomine incapacitas venit ad coitum sexuali aetate ob perturbatam tum erectionis tum eiaculationis rationem; quo fit ut quamvis genitalia organa perfecta ac integra sint anatomice constituta, erectio tamen aut deficiens aut non absoluta aut parvi temporis vel eiaculatio praecox ita habeantur ut erectio cesset ante vel statim post immissum penem in vaginam. In gravioribus casibus ad impotentiam paralyticam pervenitur in qua ea omnia quibus coitus perficitur desunt momenta.

Impotentiae igitur functionalis variae esse possunt formae uti multiplices et diversi generis sunt causae.

Et in primis invenies aliquando libidinis quandam deminutionem seu sexualis impulsionis totum vel ex parte defectum.

Etenim cuique virorum propria inest genetica vis, quae in sanis intra quosdam definitos limites variat, ultra quos in latissimam incidimus sexualis pathologiae regionem. Itaque ut exsistit sexualis hyperaesthesia permanens aut transiens prout eiusdem causae habentur constitutionales, endocrinae, toxicae, functionales vel organicae, quacum, etsi nimia, consistere potest maior vel minor vel integra procreandi potentiae abolitio aut suspensio, ita etiam geneticus quandoque minuitur instinctus; hinc sexualis hypoaesthesia aut anaesthesia, quam etiam frigiditatem vel anaphrodisiam vocant, ex qua gignitur impotentia.

Anaphrodisia sane rarius in viro accidit quam in femina; alia quidem constitutionalis, ex causis psychicis (Tanzi) dependens vel ex defectu glandularum interioris secretionis, uti est in infantilismis, vel ex laesionibus centrorum nerveorum tempore feti vel ineunte infantia; alia vero acquisita, illorum nempe qui moribus perditi, alius alio citius, facti sunt totaliter frigidi aut ad coëundum stimulis indigent validioribus iisque non naturalibus. Etiam fieri poterit ut ob morbosas sexus proclivitates deficiat sexualis impulsus cum coitus haud recta perficitur via ac ratione; ex quo gressus patet ad eam, quae nostra non interest, sexualium perversionum provinciam.

Unum ex functionalis impotentiae generibus plus minusve grave illud est quod cum elementorum permutationis morbis cohaeret, ex. gr. diabete vel obesitate, in quibus haud raro gravissimum omnium evadit et est impotentia paralytica; aut cum aliis morbis physicis, uti nephritide chronica, progrediente defatigatione, phtysi tamen excepta (phthysicum salacem veteres dicebant); aut demum ex agentibus quibusdam venenis gignitur, uti alcoholo, nicotina, morphina, chocaina etc.

Frequentissima tamen functionalis impotentia a causis nerveis et psychicis provenit.

Ex nervorum morbis, qui impotentiam gignere possunt, quidam sunt organici, quorum nempe anatomicum fundamentum demonstrari potest: inter quos alii spinam vel medullam afficiunt, ut tabes, mielites, syringomielia, tumores etc., alii autem cerebrum, ut cerebropathiae infantiles, paralysis progrediens, etc.; quidam vero sunt, quorum anatomica ratio demonstrari nequit, inter quos communissima itemque omnium nervearum formarum potissima est neurasthenia.

Impotentia sexualis neurasthenica, quemadmodum et morbus cuius ipsa est manifestatio una quandoque atque praecipua, potest esse congenita vel acquisita.

Omnia suadent congenitam speciem causam habere imperfectam evolutionem activitatum nervearum quae sexuali praesunt functioni; non autem extranei defectus vel anomaliae psychicae.

Verum hoc morbo affecti saepe sunt timidi, circumspecti, solitarii, emotivi, suspicaces vel etiam animo deficientes, qui sexualem impulsum numquam senserunt, ad mulieres numquam accesserunt, aut si, potius comitum impulsu quam propria sponte, rem tentarunt, incapaces manserunt et inepti. Hi, adolescentes, aliquem possunt experiri sexualem motum debilem sane et effimerum atque autoëroticos actus exercere, coetaneos imitandi gratia vel horum ductu; at sunt qui talia nulla prorsus agant.

Impotentia neurasthenica provenit primo ex omnibus causis quae generalem neurastheniam gignere valent, uti sunt hereditariae, consti-

tutionales, endocrinae, infectivae, toxicae, exhaurientes etc.; deinde ex specialibus causis, inter quas praecipuae habentur affectiones gonococcicae viarum genito-urinariarum, excessus venerei praesertim contra naturam, quorum princeps onanismus.

Gonococcicis affectionibus dimidiam fere partem neurasthenicae impotentiae casuum, ascribit Eulenburg. Atque, ut ipse autumat, duplici ratione affectiones illae in impotentiam gignendam influunt: vel per toxinas quae in torrentem circumlatorium effusae ab hoc ad centra nervea deferuntur, vel per continuam irritationem terminationum nervearum urogenitalium, illius praecipue urethrae prostaticae partis quae maxime sensu est praedita quamque *aream sentientem* ipse appellat, necnon eiusdem in centra nervea perniciosus influxus atque in psychem.

Quemadmodum gonococcicis affectionibus ita etiam onanismo magnum tribuitur momentum ad impotentiae genesim, praesertim si praematura exerceatur aetate aut ante pubertatem frequenter et diuturne iteretur.

Etsi hac de re nonnihil exaggeratum sit, contra quae reactio, auctoribus praecipue W. Erb et Fuerbringer, iamdiu est habita, negare tamen nullo pacto possumus superexcitatam praematura aetate quamlibet organismi functionem quae, recte se evolvente organismo, multis post annis apparuisset et constitisset, perniciosam esse. Idque magis si consideres huiusmodi actus qui clam fiunt ad sibi sexualem voluptatem comparandam eo vehementiorem quo est pravior, iterari commode posse nec quoquam cooperante. Loewenfeld itaque censet haec praecocia autodelectamenta sexualia vere damnum afferre et systematis nervei debilitatem; quin etiam idem asserit in pueris neuropathicis, saepe effectum onanismi exploravisse, vehementissimam nervositatem, excessus anxietatis, insomniam atque ipsam evolutionis psychicae relaxationem. Bloch autem addit pueros ob consueta vitia solitaria segregem amare vitam atque solitudinem, misanthropia, melancholia affici et hypocondria.

Oppenheim vero ulterius progrediens onanismum habet iam ex se signum degenerationis aut diathesis neuropathicae. Sequela morborum in iis adiunctis nota est: onanismum sequuntur paraestheses vel multiplicis generis graves sensus in genitalibus, spermatorrea, pollutiones, quae dum indicium iam praebent debilitatis nerveae irritabilis, in qua neurasthenia consistit, si iterentur exercent demum influxum in dies magis deleterium et deprimentem in nervorum systema atque impotentiam neurasthenicam gignunt, quae deficiente vel imperfecta erectione manifestatur et fugaci aut praecoci eiaculatione.

Verum, hic, praeter causas proprie nervosas veniunt et psychicae.

Cum ob neurasthenicam debilitatem habiti sunt erectionis defectus, aegrotus incipit esse nimius sui status sollicitus, necnon suae ad generandum potentiae; quod si forte coitum tentaverit et rem frustra gesserit, augetur ipsi moralis depressio, augetur suae sexualis potentiae diffidentia: sequuntur gravissimus pessimismus, conscientiae morsus, et omne genus anxietatum. Iterum rem tentat: id iterum frustra.

Iam nunc morbus adest; isque anceps inter aliquam renascentem spem cum parvi momenti partiali victoria, et nigram desperatam rem, ob quam adeo augentur atque permanent dubia, sollicitudines, anxietates, et melancholia ut ad statum desperationis perveniatur ex qua ad suicidium gressus fieri potest.

Non desunt tamen qui, etsi defectum propriae potentiae illicite sint experti, ob causas supra recensitas, inconsulte matrimonium ineunt, optimismo moti aut sperantes electae mulieris fascinationibus ac talami calore sibi sensus suscitatum iri et deperditas vires. Attamen aliter solent res sese habere. Etsi habita spes miseris quendam excitat aestum, non valet tamen pristinas restituere vires atque atrox mali exitus dubium fugare. Quod quidem in dies vehementius fit atrocius, prout postremum instat tentamen; quo deficiente, posteriora deficient. Ex mente aegroti numquam excidet tristis atque terrifica rerum adversarum imago; tandem nova tentamina ab uxore nulla repetere poterit, quae uxori indecora, viro quoque molesta, utrique vero intolerabilia erunt et inutilia. Rerum et animorum exsurgit inter coniuges discrimen. Obiurgationes et criminationes haud benignae etsi iustae ex parte deceptae mulieris, tristissima praevisio legalis processus ad matrimonii nullitatem declarandam, conscientiae morsus, pudor, animi depressio atque fracta viri elatio ruinam complent cum parvam illam potentiam quae forte superfuerit in irreparabile discrimen adducant et venerei impetus rudimentum exstinguant. Qui tamen si in frigida phantasiae ac sterilis voluntatis sphaera, cupiatur excitandus, quin sensus ipsi tangantur, ut recalescat reviviscatque nullo poteris efficere tentamine.

De causis psychicis agentes, quae in impotentiam neurasthenicam gignendam influunt, iam provinciam proprie nerveam praetergressi, psychologicam sumus aggressi, in qua immorabimur de impotentia

psychica disserentes; quae, ut praecedentes formae, impotentiae functionali est accensenda.

In impotentia psychica dominantur omnino causae psychologicae. Eiusdem variae dantur formae et diversi gradus, quae omnia numerare est difficile quaeque dependent ab intricata mentis machina cuius perplures exhibentur maximaeque varietates. Et sane, etiam hic illud recurrit quod in tota dominatur pathologia, pathologicum nempe a physiologico suam quodve notam recipere atque formam.

Monuimus iam cum progrediente vitae cultu qui psychologice est animi sensuum ac intellectus in die maior evolutio, pari progredi passu affectivum modum qui sexuali imprimitur istinctui. Elementa aesthetica atque moralia, quae sympathiae una simul magnae sunt partes, in excultioribus hominum classibus potissima fiunt ex quibus ad seligendum quisque movetur; ab iisdem psychicis amoris partibus sexualis impulsus gubernatur ac dirigitur, quae spino-sensorialibus quandoque praevalent. Hinc fit ut a nimia intellectus evolutione, instinctus vehementia deprimatur atque discordia quaedam constet qua vis ipsa instinctus frustrata minuitur; hinc in quibusdam casibus fieri potest ut intellectiva amoris pars ab instinctiva discordet.

Videmus itaque ex viris et feminis quasdam ideas sibi fingere, quas insequantur, quin ab ulla trahantur viventium imagine quantumvis ad desiderium alterius sexus excitandum apta; pari modo quidam sunt in quibus platonicus amor et sexualis, ita ad suam quisque speciem geminetur ut pulchram feminam eximio prosequantur amore et admiratione, quemadmodum aestheticae cultor pulchram admiratur statuam. Attamen id generis pulchritudines, hae aestheticae perfectiones geneticum instinctum potius deprimunt quam excitant, impossibilem efficientes coitum cum muliere quae eisdem est praedita: qui quidem instinctus, vehemens quandoque ac dominans, contra exsurgit in aliam quamlibet feminam eamdemque senem et turpem a qua nullae moventur intellectivae et aestheticae mentis partes.

Ast vero psychica impotentia plerumque ab inhibitione psychica pendet quam producunt et dubium et timor rem non perficiendi, tum anxiae mentis imagines tum obsessivae vim paralyticam exercentes. Quae sive in sanis sive in neuropathicis viris, coitus tempore, insurgere possunt aut molestiores et vehementiores fieri; qua de re physiologicae explendae copulae obex efficitur infrangibilis aut ob deficientem, imperfectam vel fugacem erectionem aut ob eiaculationem praecocem vel (quod rarius fit) supra modum retardatam vel prorsus impossibilem.

Legitur apud Tanzi: « Un elemento perturbatore ed intruso, uno spettro pauroso, non chiamato ma implacabile, disputa all'istinto sessuale la sua vittoria e quasi sempre la impedisce. Questo spettro è la sfiducia nella propria capacità. Scrupoli di pudore, fisime di ordine estetico, un prurito intempestivo di idealismo, l'ossessione di sembrare brutale o impacciato o ridicolo, si associano con una affinità elettiva al timor panico o addirittura alla fobia dell'insuccesso, rendendolo inevitabile, perchè introducono l'elemento dell'introspezione e magari dell'ipercritica in un atto che non tollera nè l'una nè l'altra, che deve essere lasciato alla sua spontaneità istintiva. Difatti, la voluttà, che è il *deus ex machina* dell'atto sessuale, richiede spensieratezza, e il gelo dell'analisi, sopratutto di una analisi ansiosa e sofistica, è proprio il contrario della spensieratezza, l'anestetico per eccellenza, il più infallibile degli anafrodisiaci ».

Eandem mentem pressius profert Oppenheim cum haec asserit: « molto spesso, anzi forse nella maggior parte dei casi, l'impotenza dipende da fattori psicologici; durante o prima dell'atto lo spirito del malato è invaso dall'idea dell'insuccesso, la quale esercita una intensa inibizione, turbando il corso dei fatti fisiologici, che si compiono all'atto del coito, il quale non tollera riflessioni nè osservazioni al proprio io, nè supposizioni angosciose, nè timori ».

Equidem non aliter sexualis actus fieri potest nisi in eo explendo vir aestu quodam cum gaudio instinctivo ac undequaque perfecto impleatur, absque ulla rei adversae perceptione.

Hoc impotentiae psychicae genus, quod obsessivum appellaverim, eo fit irremediabilius quo magis innititur frustra repetitis tentaminibus, idque ob animi depressionem et pessimismum quae sequuntur graviora, atque in dies crescens acerbum dubium quod copulae tentamen comitatur quodcumque.

At non semper desperata res: satis est quandoque exitus secundus ad nubes, dubia, anxietates quaevis removenda, ad spem excitandam, ad novum infundendum vigorem.

Plures noscuntur formae impotentiae psychicae obsessivae. Est quaedam impotentia psychica absoluta, idest generica, ad omnes mulieres, quae ab earum aestheticis, moralibus et idealibus virtutibus minime pendet.

Quaedam sunt relativae, seu particulares, non ad omnes sed ad

quasdam mulierum classes vel ad quasdam mulieres. Deficiunt itaque ab erotica attractione integrae mulierum classes, uti ex. g. honestae omnes aut turpes, nuptae omnes aut virgines, pulchrae omnes aut minus, quibus non satis delectamur aut nimis; quarum postremae adeo damnum faciunt quod, scil., ob notum obsessionum mechanismum, contrarium excitent stimulum stimulo directo validiorem in superiore mentis regione.

Hic sexualis particularismus haud raro fit singularis (impotentia quoad mulierem) cum una tantum, quae est mulier repulsa, eaque saepe mulier inter omnes amatissima et desideratissima et dilectissima. Res sane socialiter et iuridice quam gravis habetur cum mulier repulsa est uxor ipsa (impotentia quoad uxorem). Contra casum oppositum habes a funestis sequelis vacuum imo prosperum ac opportunum, quoad fidelitatem etsi nullo merito dignum, cum omnes repelluntur mulieres, una excepta uxore.

Alia impotentiae psychicae relativae forma quae ceterum quoad geneticum mechanismum nihil ab illis quos supra innuimus distat, est impotentia, quam vocant, temporanea, a quibusdam dependens adiunctis quae eam efficiunt, ut ex. g. a quibusdam tantum diei horis (Frenzel).

Huic sane affinis est quae repens manifestatur in viris quorum coitus semper rite perfectus est, ob insurgentes repentinas imagines quae, quamvis laetae, valent tamen vim inibitoriam exercere in functiones copulae. Quod et Rousseau accidisse tradunt.

Demum alia impotentiae psychicae forma digna quam recenseamus, etiam eo quod reversibilitatem et aequivalentiam demonstret humanarum virium, est quae manifestatur in viris ceterum sanis, perdurante intensa activitate psychica, intellectuali vel artistica, impotentia nempe eruditorum et artificum, quae, transiens plerumque, habetur tempore quo ipsi aliquid novi investigant vel producunt. In huiusmodi casibus habetur vera elatio (sublimazione) amoris sexualis quatenus silet omnino geneticus instinctus et respectivae vires potius ad nova opera artis et intellectus impellunt quam in sphaera sexualium actuum exhauriantur.

Inter alios tradunt Newton hoc morbo affectum fuisse.

Quidam auctores de impotentia neurasthenica et de psychica indiscriminatim loquuntur unam tantum ex his duabus formam fingentes. Verum censemus distinctionem faciendam ac retinendam esse.

Etsi enim, iuxta ea quae supra recoluimus, impotentiae neurasthenicae origo psychologicis quoque elementis debetur, constat tamen elementa stricte et exclusive nervea magnam habere in ea partem, atque psychologica praecedere; illa capacitatis sexualis perturbationes gignunt, sub specie quadam paraesthesium in genitalibus, pollutiones, spermatorream, erectionis defectus, praecocem eiaculationem, quae ab istis in conscientia firmiter collocantur atque graviora et diuturna efficiuntur.

Haec nervea elementa nihil aliud sunt nisi debilitas irritabilis centrorum nerveorum, in qua demum summa est neurastheniae essentia. Haec consistit in morbosa quadam neuronum moventium relaxatione quam comitatur neuronum sensitivorum quaedam irritabilitas.

Sive, quam diximus, irritabilis debilitas ex lapso provenit aequilibrio processuum disintegrationis et integrationis protoplasmatis cellularum nervearum, quod fit aut ob torporem constitutionalem processuum nutritionis aut ob ea congesta toxica quae renutricationem consequuntur, ut aliorum est opinio; sive ex permanente ac morbosa aequilibrii virium instabilitate; sive demum ex utraque simul causa, res est quae maxime ad pathologiam, parum vero ad legalem medicinam attinet.

Itaque negare non possumus neurasthenicam impotentiam quae ex istis profluat diuturnis condicionibus nerveis et psychicis a psychica illa longe distare quam nec praevidemus nec expectamus aut in quibusdam casibus vel specialibus adiunctis manifestatur. Hanc nec praecedunt nec sequuntur multae illae nervorum perturbationes, sive generales sive neurasthenicae sexualis sphaerae, quae illam comitantur. Paucis, neurasthenica impotentia ultimam suam repetit causam ex elemento nerveo, nervorum scil. irritabili debilitate, cui psychologicum elementum accedit; psychicae vero formae radix una vel potissima est in elemento obsessivo, etsi in eadem inveniri possit conditio quaedam degenerativa aut neuropathica, praedisponens atque latens.

Altera igitur et ob diversam genesim et ob peculiarem clinicam figuram necnon ob practicum momentum ab altera prorsus est seiungenda.

Longius est de impotentiae diagnosi ac prognosi disserere, quae tum clinicam spectant tum, atque magis, medicinam legalem.

Non possumus tamen quin aliqua his de rebus animadvertamus. Notum est inter alias essentiales conditiones ad nullitatem matrimonii declarandam, ob vitium impotentiae, requiri ut haec non sit dubia [1].

[1] CIC c. 1068 § 1; cfr. quoque CCIt a. 107 qui manifestam impo-

Quaeritur hic quidnam ex pathologia et clinica habeamus ad manifestam non dubiam declarandam impotentiam functionalem.

Quaestio respicit neurasthenicam praesertim formam et psychicam, quae potissimae ad praxim sunt, quippe quae ceterarum omnium longe frequentissimae. Ceterum quaestio circa impotentiam ob morbos organicos systematis nervei, facilioris est solutionis.

In arte clinica anamnesticae notae per se ipsae ad diligentem diagnosim sufficiunt; in medicina vero legali illarum verisimilitudo obiectivis factis necesse est suffragetur.

Nonnullae nobis atque magni momenti praesto sunt notae, hinc scil. quaedam generalia neurastheniae signa, quaedam inde genitalium localia signa, ut imperceptibilitas pulsationis dorsalis arteriae penis, absentia tum reflexus bulbo-cavernosi seu Onanoff tum reflexus cremasterici; nimia penis flacciditas atque frigiditas, eiusque hypoaesthesis, scroti relaxatio, testiculorum deminutio. Verum eiusmodi localium signorum non nimia est vis, etsi suo momento haud careat; ceterum impotentia functionalis omnino psychicae naturae consistere potest, etsi, quae indigitavimus, absint omnia signa. Res adhuc implicatur eo quod neurasthenia generalis cum sexuali necessario non coëxistat, haberi autem possit absque ulla sexualis spherae perturbatione et vicissim.

Num adhibenda nobis sunt, ut consuevere olim, experimenta? (2).

Rerum usu atque ratione edocemur illa ad nihil valere nisi ad magis magisque potentiam viri deprimendam; mechanica enim excitamenta vel electrica atque alia, praeter quam moralitatem offendunt, numquam ad finem a nobis intentum pertingerent, cum valde sint aliena ab illis peculiaribus conditionibus quae ad explendum sexualem actum physiologicum seu naturalem conferunt. Qui quidem suo relinquendus naturali instinctui nulla patitur experimenta vel testes, nec manifesta neque occulta.

Ad applicandas quas legislatores conditiones requirunt nec anatomicae constatationes nec experimenta sunt necessaria, sed praesumptiones atque logicae deductiones quae ex diligentissima ac subtili profluunt anamnesi necnon ex collato cum eadem generalis neurologici examinis exitu, localis atque psychici. Quod cum aptis iisque sapientissime adhibitis mediis perficiendum est semeiologicae inquisitionis ope, quae omnia pathologiae et clinicae placitis cohaerenter sunt perpendenda.

tentiam requirit. Verisimile censemus legislatorem italicum impotentiam instrumentalem tantum significare voluisse quae scil. ex genitalium imperfectione vel pertubatione proveniat. At logica ratio rerum huic strictae interpretationi praevaluit, quam, medicinae atque iurisprudentiae inter sese concordia, ad functionalem quoque extenderunt et ad psychicam ipsam impotentiam, de qua clare Codex iuris canonici statuit.

(2) Strassman recolit eiusmodi praxim fuisse in processus saec. XIV introductam; praxim autem saec. XVII obsolevisse auctor fert.

Aliam quam canones essentialem conditionem requirunt, in eo habes quod impotentia sit perpetua. Haec itaque conditio ad prognosim impotentiae spectat. Clinico sermone: quandonam sanabilem vel insanabilem declaremus functionalem impotentiam? Verbis medico-legalibus: quandonam perpetua aut temporanea nobis est retinenda?

Arduum semper hac de re clinico ac perito incumbit officium et quadam incertitudine informatum. In casibus etsi specie gravioribus inexpectata eaque sufficiens redit quandoque sexualis activitas vel etiam omnimoda eiusdem, cum vel absque curatione, sanatio; quemadmodum in levibus, quandoque, usque ad incapacitatem sexualem stabilem progreditur.

Attamen et quoad prognosim adsunt notae. Generatim eo prognosis gravior facienda quo plenior est hereditaria dos, aut morbosa exsistit insanabilis constitutio vel gravior neuropathica diathesis; et cum de viris corrupti moris agitur, effrenatis onanistis qui coitu abutuntur, praesertim si is aut contra naturam, aut immutatu sexu perficiatur, tum in casibus in quibus defectus sexualis capacitatis iamdiu immutati perdurant, praesertim cum constatare datur illa, quae supra innuimus, localia genitalium signa, aut diagnosis fit impotentiae paralyticae, quae impotentiae functionalis forma est omnium gravissima. Quod ad impotentiam psychicam attinet quoad uxorem medicus sententiam clinici daturus aut periti, hoc prae mente habeat principium: si sanus est patiens qui numquam antea perturbationes nervosas praebuerit nec sexuales defectus, quique tantum recens coniugis officium adimplere nequeat, datur semper spes transeuntis phaenomeni morbosi, praecipue si ei suaderi poterit ut per aliquod temporis intervallum coniugalem deserat thorum. Cum vero agitur de nimis timido vel dubioso vel anxio, quamvis robusto cumque, non obstantibus omnis generis curationibus et medici adimpletis praeceptis, iterata tentamina pessimum habuerint exitum, ita ut desperatione atque pessimismo ille dominetur, parva supererit spes sexualis morbi depellendi; ideoque pa-

rum probabile est fore ut debitum coniugale ipse reddere possit. Animi quaedam viget non secus ac corporum inexplebilis lex qua his in adiunctis posteriora quaeque deficiunt tentamina, ac in perpetuum vivunt tristes deprimentesque memoriae, dum barathrum quoddam inter coniuges foditur insuperabile tum pergravis anaphrodisiae tum cruciantium delusionum, pudoris, odii, repugnantiae, reciprocae demum hostilitatis.

SEMINÁRNÍ PRÁVNICKÁ FAKULTA MASARYKOVY UNIVERSITY KNIHOVNA
Hist.-práv. oddělení